Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



31

DVS.

de loco isto ut non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini mense novarum frugum. Cumque te introduxerit dominus in terram chananei et hethei et amorrei et euei et hebusei quam iuravit patribus tuis ut daret tibi terram fluentem lacte et melle celebrabitis hunc morem sacrorum in isto septem diebus vescis azimis. Et die septimo erit sollempnitas domini. Azima comedetis vii diebus. Non apparebit apud te aliquis fermentatum nec in omnibus finibus tuis. Narrabisque filio tuo in die illo dicens. Hoc est quod fecit dominus cum egrederemur de egypto. Et erit tibi signum in manu tua et quasi monumentum ante oculos tuos. Ut lex domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te dominus de egypto. Custodies igitur ea quasi statuto tempore a diebus in dies. Cumque introduxerit te dominus in terram chananei et hethei et amorrei et euei et hebusei sicut iuravit tibi patribus tuis et dederit tibi eam separabis omne quod aperit vulvam domino. Et primitivum e pecoribus tuis quod habes masculinum sexum. Separabis domino. Omnigenitum asinum mutabis ovem quod si non redemeris mutilabis. Omne autem primogenitum hominum de filiis tuis pecunia redimes. Cumque interrogaverit te filius tuus eo dicens. Quid est hoc? Respondebis ei. In manu forti eduxit nos dominus de egypto. De loco servitutis. Nam cum indurasset pharao nolle nos dimittere occidit dominus omne primogenitum in terra egypti. Idcoque immolo domino omne quod aperit vulvam masculinum sexus. Omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi signum in manu tua et quasi appensum ante oculos tuos. eo quod in manu forti eduxerit nos dominus de egypto. Iste cum dimisisset pharao populum non eduxit eos dominus per viam terre philisthim quae vicina erat reputans ne forte penitere eum si vidisset adversum se bellum arripere et reverterentur in egypto. Ideo circumduxit populum per viam deserti que est iuxta mare rubrum. Armati ascenderunt filii israel de terra egypti. Tulit quoque moyses ossa ioseph secum. eo quod adiurasset filios israel dicens. Visitabit vos dominus. efferetis ossa mea nobiscum hinc. Profecti de succhot castra metati sunt inethan in exitu heremi. Dominus quidem ibat ante eos ostendens viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis ut duce et nocte et die iter facerent. Nunquam defuit columna nubis per diem nec columna ignis per noctem coram populo.

XIIII.

Locutus est autem dominus ad moysen dicens. Loquere filiis israel ut revertantur et castra metantur ante faciem phiahiroth quae est inter magdalum et mare contra beelsephon in conspectu eius castra ponetis iuxta mare. Dicturusque est pharao super filiis israel. Coartati sunt in terra. Obclusit eos desertum. Et indurabo cor eius ut persequatur vos. Et glificabor in pharone et in omni exercitu eius. Sciantque egyptii quia ego sum dominus. Fecerunt ita. Nunciatum est regi egypto quod fugissent populi. Immutatumque est cor pharonis et servorum eius super populo israel et dixerunt. Quid voluimus facere ut dimittemus israel ne serviret nobis? Junxit ergo currum et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos curros electos. et quicquid in egypto curruum fuit. et duces totius exercitus. Induravit quoque dominus cor pharonis regis egypti. et persecutus est filios israel. At illi egressi erant in manu excelsa. Cumque persequerentur egyptii vestigia pedissequorum reperiunt eos in castris iuxta mare. Omnis equitatus et currus pharonis et universus exercitus erat in phiahiroth contra beelsephon. Cumque appropinquasset pharo levantes filii israel oculos viderunt egyptios post se. Et timuerunt valde. Clamaverunt ad dominum. Dixerunt ad moysen. Forsitan non erant sepulchra in egypto. Ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine. Quid hoc fecisti ut educeres nos de egypto.

mira egypti. a primogenito regis usque ad primogenitum